Quelle:
Copyright:

Et in cunctis nobis assis anime et corporis
Periculis gloriosa agnes et in extremis horis.

Deinceps sequitur: *Laus sit regi glorie* &c. quod jam alio etiam loco hujus *Vol.* retuli.

III. *fol.* 115. prorsus eleganti calamo *Incipit liber de exemplis sacre scripture compositus a fratre nicholao de Hanapis ordinis pred. patriarcha Jerosolimitano.* Idem ad calcem repetitur. Praeit index Capitum, quorum I. sic orditur: *Creatio rerum fuit ita mirabilis* &c. Opus ipsum bis relatum *Vol.* I. P. 1. *col.* 448. P. 3. *col.* 2693. ubi plura de eo et Autore, iterum redibit *Vol.* praes.

IV. *fol.* 221. Constitutio *Bonifacii* VIII. quae incipit: *Super kathedram eminentie pastoralis* &c. litesque inter Clerum secularem et FF. Praedicatores, Minoresque circa licentiam praedicandi, confessiones excipiendi, sepeliendique componere nititur. Data est *Laterani duodecimo kalend. Marcij Pontificatus Anno Sexto.* Igitur a. 1300. non vero 1303. ad quem annum obiter ejus meminit *Odor. Raynaldus* in *Annal.* Nihil de ea in *Bullariis, Ciaconio, Fabricio.* Extat tamen inter *Decretales* L. III. *Extravag. commun.* C. *de Sepulturis.*

V. *fol.* 224. *Incipit Opusculum exemplorum ad predicationem uerbi dei necessaria et habet capitula uiginti, et primum capitulum est de miraculis beate virginis quod habet tres diuisiones.* Compilatorem edere non possum; dabo tamen e Praefatiuncula, unde sua legerit, videlicet e *IIII^or. libris dyalogorum beati gregorii et ab omeliis euuangeliorum ab eodem compositis et a libris beati augustini de ciuitate dei et ab ecclesiastica ystoria et tripartita a beato eusebio et beato Jeronimo de statu primitiue ecclesie compositis et ab ecclesiastica bistoria anglorum secundum bedam presbiterum et a libro qui dicitur X. Collationes patrum* (Cassiani) *et a libro qui dicitur paradisus qui de eadem materia loquitur* (fortasse *Joh. Moschi* Viridarium s. Pratum Spirituale) *et a libro barlaam et de passionali scilicet de passione aliquorum martirum uita et conuersatione et fine ceterorum sanctorum.* Ad calcem minio: *Explicit tabula super opusculum exemplorum et est scriptus per manus fratris Nycolai de Franquavilla. Finis adest operis mercedem posco laboris.* Calligraphici sane, sed errores grammatici in Titulo et Clausula admissi ferulas potius merebantur.

VI. *fol.* 303. p. 2. *Incipit tractatus super missam qui dicitur speculum ecclesie quem frater Hugo de ordine predicatorum composuit.* Initium: *Induite vos armatura dei — — Armatura est vestis sacerdotalis* &c. Ad bis relatum *Vol.* I. P. 2. *col.* 1360. et P. 3. *col.* 3051. non est, quod addam.

Deinceps aliis manibus et currente calamo haec Codici addita sunt: 1) Sermones VII. quorum singuli incipiunt: *Poenitentiam agite*